

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7406

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Notre-Dame-du-Parc, dépendance Grandmont (prieuré, prieur)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** douteux

**Datation :** [1177-1189]

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de fondation de la maison des religieux de Grammont dans le parc de Rouen. — Acte suspect.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Farin François, *Histoire de la ville de Rouen*<sup>3</sup>éd., Rouen, B. Le Brun, 1738, 6e partie, p. 33.
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCXXVII, t. 2, p. 350-352.

## Dissertation critique

voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 351. Souscription de Guillaume Fils de Raoul, sénéchal de Normandie, probablement dès 1177.

Voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 351 ; DELISLE, *Recueil des actes de Henri II*, Introduction, p. 297.

Texte établi d'après b

Henricus, Dei gratia rex Anglie, et dux Normannie, et Aquitanie et comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis presentes litteras inspecturis, salutem.

Noveritis quod ego dedi et concessi Deo et ecclesie Beate Marie et domui de parco juxta Rothomagum et fratribus ordinis Grandimontensis ibidem Deo servientibus, pro remedio anime mee, in perpetuam elemosinam totum parcum predictum, et totum nemus predicti parchi, cum fundo terre in quo dicti fratres habitant sive habitare contigerit, sicut exteriorum fossatorum clausura, que est juxta regiam semitam per quam itur ad villam de Soteville, circunquaque demonstrat per circuitum, ad vendendum, donandum et utendum modis omnibus, quibuscunque modis uti voluerint, pro sua voluntate, libere, pacifice et sine aliqua contradicione, volens et concedens ut prenominati fratres in predicta domo commorantes habeant omnimodam justiciam et jurisdictionem in omnibus rebus, tam mobilibus quam immobilibus, que sunt vel esse de cetero poterunt infra fossata memorata, nichil juris vel domini[i] michi retinens vel heredibus meis in premissis ; concedens eciam ut predicta domus [cum] omnibus suis pertinentiis, ubicunque sint, sit semper immunis, quieta et libera ab omnimoda justicia et domin[i]o, ita quod quicunque reus ad dictam domum causa refugii accesserit, postquam fuerit infra fossata memorata, sit liber et absolutus ac si esset in monasterio aut in ecclesia consecrata. Preterea dedi et concessi fratribus memoratis et animalibus suis, cujuscunque generis sint, si animalia dictos fratres habere contigerit, plenum

usagium in tota foresta mea de Rovareio que est juxta parcum memoratum, et in omnibus aliis forestis meis totius terre mee, ad edificandum domos, ubicunque et quandocunque edificare voluerint, et ad calefaciendum, et ad faciendum ea omnia que supradicte domui et omnibus membris eidem domui pertinentibus, presentibus et futuris, fuerint necessaria quoquo modo. Dedi et fratribus antedictis ducentas libras Andegavensium annui redditus in vicecomitatu Rothomagensi annuatim persolvendas ad voluntatem fratrum predictorum, sine deffectu et sine aliqua contradictione, videlicet centum libras in Pascha, et centum libras in festo Sancti Michaelis. Hanc vero solutionem predictarum ducentarum librarum fieri volo in prefatis diebus, sub pena decem librarum, quam penam tenebitur reddere memoratis fratribus ille qui pro me et successoribus meis tenebit vicecomitatum antedictum, si defecerit in dicta solutione, nisi differatur predicta solucio de assensu et voluntate fratrum predictorum. Dedi et concessi fratribus antedictis totam vacheriam meam, que est de subtus le Molinet juxta Secanam, et homines in eadem commorantes, nichil juris vel domini[i] michi retinens vel heredibus meis in dicta vacheria, presentes litteras intuentibus significans quod dicti fratres habebunt et recipient ab hominibus in dicta vacheria commorantibus quolibet anno trecentos caseos, quemlibet caseum precii duorum denariorum, et dicti homines memoratos caseos ad domum fratrum predictorum aportabunt libere, pacifice et quiete, sine reclamacione cibi vel potus vel alterius cujuslibet rei ; et si ipsi homines solutionem predictorum non fecerint ad voluntatem fratrum, ipsi fratres recipient in manu sua dictam vacheriam tanquam suam et facient de eadem suam voluntatem, concedens omnibus hominibus de voluntate dictorum fratrum in dicta vacheria commorantibus plenum usagium in prefata foresta tanquam fratribus antedictis. Dedi etiam memoratis fratribus omnes apes tocius foreste mee de Rovarei que in dicta foresta quoque modo poterunt inveniri, et unum hominem in villa de Huchello cum heredibus suis, qui semper erit collector predictarum muscarum, quandiu placuerit fratribus antedictis, ita quod dictus collector, quicumque fuerit ille, habebit plenum usagium in foresta de Rovarei, quandiu placuerit fratribus antedictis. Dedi etiam dictis fratribus duos homines in villa de Rothomago ad servitium ipsorum fratrum faciendum, ita quod ipsi fratres habebunt semper duos homines successive per opcionem suam in villa Rothomagi, et in singulis villis prope domum per quatuor leucas existentibus unum hominem successive, volens etiam et concedens ut memorati fratres et omnes homines ipsorum, presentes et futuri, et omnes ipsorum famuli sint liberi et quieti per totam terram meam ab omnibus consuetudinibus, videlicet vinagio, passagio, pedagio, talliis, exercitu, et ab omnibus emendis, forefactis, michi vel heredibus meis pertinentibus quoquo modo, ita tamen quod dicti fratres habebunt eandem justiciam in suis hominibus, quam ego habebam in eis dum erant in mea potestate.

Testibus : Willelmo Filio Radulfi senescallo Normandie, Reginaldo de Curteney, Hugone de Morwyc., Martino de Ose, [de Sancto] (?) Petro super Dive (sic).

In cujus rei testimonium etiam presentes litteras sigillo nostro precepi confirmari.

Datum per manum Gau[cherii] cappellani nostri.